

Plurimum Reverendi & Ornatissimi Viri, Præpositi atq;
 Pastores in Diœcesi Aboensi, Fratres & Amici
 honorandi & dilecti.

Pæterna Dei Opt. Max. de nobis cura in
 eo maximè elucet, quod in summis an-
 gustijs, & quoties ad incitas videmur re-
 ducti, quasi *ἀπὸ τῆς μηχανῆς* erumpat
 Salutem nobis & auxilium præbens Deus. Recens
 saltem commemorabo exemplum, quod immen-
 sum erga nos Dei favorem declarat. Cum jam
 bellum undiq; ferveret, tot tantisq; hostibus undi-
 quaq; in nos, facta conspiratione, impetum facien-
 tibus, & nihil nisi extremam nobis minitantibus in-
 ternecionem, Ecce nuncius advolat, 29 Novemb.
 quæ nuper effluxit, inter nos & infensissimum hacten-
 us hostem Hollandum pacem factam esse, subla-
 tis, quæ regno non parum graves fuere, variarum
 mercium *Compagnijs* ut vocant seu societatibus.
 Quæ res spem facit vicinum quoq; hostem, qui pro-
 prijs viribus exhaustus, non nisi alienis nos oppugnat,
 ad pacis cogitationes tantò facilius coactum iri.
 Quid nobis interea, qui pace fruimur, quam tan-
 to sudore atq; vigilijs nobis peperit Clementissimus
 ac Potentissimus Rex, faciendum est, nisi ut cœle-
 sti Patri toto pectore gratias agamus, qui patriæ no-
 stræ fidissimum hunc custodem concessit, & adver-
 sus tot potentissimos hostes invictum hactenus præ-

stitit? Magna & mirabilia sunt opera tua Domine
justæ ac piæ sunt viæ tuæ Rex sanctorum. Quàm
paternè foves tuos, medijs in periculis piè liberas;
Benedictum. O JESU CHRISTE sit nomen tuum in
seculum seculi! Rogemus etiam ut Serenissimo Re-
gi nostro, & quibusvis in eminentia constitutis, pa-
cem largiatur, ut sub eo tranquillam & quietam
vitam degamus cum omni pietate & honestate.
Meminerimus etiam nos in spiritali custodia à
Deo collocatos esse, ut sicuti Rex Clementissimus
pro universæ patriæ salute & conservatione vigilat,
ita nos pro Ecclesiarum nostræ curæ commissarum
salute fideliter excubemus. Quo inter alia spectat
annuus Doctorum Ecclesiæ publicus conventus,
quem anniversariam Synodum Diocesanam voca-
mus; quæ salutare quoddam medium est conserva-
ndæ apud nos puritatis & sinceritatis Doctrinæ cœ-
lestis, ut pia instituantur inter Doctores Ecclesiæ
Colloquia de Articulis fidei; hæreticorum corrupte-
læ detegantur & confutentur; ordo & disciplina Ec-
clesiastica conservetur; vitij, quæ in Ecclesias ea-
rumq; administrationem temporis progressu irrepse-
runt, tempestivè occurratur; & unio in omnibus Ec-
clesiis, quæ Ceremonias, quæ doctrinam, constituatur;
pietatis & honestatis exercitia inter omnes vigeant
in Ecclesiæ ædificationem, & animarum æternam
salutem. Tales conventus hoc anno, qui jam instat,
tres instituere constituimus, Primum hic Aboæ ad

16 & 17 Januarij circa diem Henrici, quò aliàs mercatus causa confluere soletis, pro pastoribus Diœcesanis in Bothniam. Alterum in Veteri Carleby pro pastoribus alijsq; verbi divini ministris Orientalis Bothniæ, circa medium Febr. Et tertium pro Sacellanis & Adjunctis, alijsq; qui non dum certum in Ecclesia locum occupant, in viciniori rursus Diœceseos parte, quò & Alandenses pastores, si ad Henrici tempus nequeant, convenient. Materia Colloquij erit primò die de DEO ejusq; triplici cognitione, Naturali, Revelata & Intuitiva; secundò de Mysterio S.S. Trinitatis seu de Dei notitia in S. literis nobis unicè revelata, sicuti hæc vobiscum typis nostris evulgata propediem comunicabuntur. Præsides constituimus hic Aboæ in primo conventu Reverendos viros M. Andream Kerkonium Pastorem Hvittensem primo die, & M. Henricum Florinum alterò. Respondentes primo die Dn. Davidem Matthiæ Pastorem Vemoensem, alterò Dn. Laurentium Jacobi Pastorem in Nagu. In alterò Conventu Rever. viros M. Michaellem Jurvelium primò, & M. Andream Ulstadium alrero die. Respondentes Dn. Claudium Past: in Brabestad & Dn. Johannem Pastorem in Sahjala. Pro Sacellanis præsidebunt M. Johannes Siliervan Præpositi Adjunct⁹ in Uland; & M. Gabriel Arctopol. Sacellanus Aboens. Respondebunt Dn. Thuro Martini in Merimasto Sacellanus, & Dn. Laurentius Hinsbergius Conc. Aulicus in Runegård. Opponentium partes cœteri pro sua quisq; industria obibunt.

1.
2.
3.

obibunt, Concionabuntur Aboæ Sueticè Dn. Christiernus vice Pastor in Bschela, & Dn. Johannes Kroof Pastor Ingoensis. Finnonicè Dn. Johannes Rötman Pastor Wäncensis, Petrus Johannis Walstenius Pastor Loimojockensis. In Ostbothnia Dn. Joh. Antilius Præpositus Paldamaensis, & Dn. Olaus Arenius Pastor Mahalaxensis. Inter Sacellanos Sueticè Dn. Petrus in Sagu & Dn. Johannes Matthiæ in Sund. Finnonicè Dn. Abrahamus Erici Rössfalsensis, & Dn. Martinus Simonis in Rändamäsi. Oratores erunt M. Johannes Frisius Pastor Kangasalensis, & M. Johannes Thuronijs Conrector Scholæ Biörneburgensis. Juniores Sacellani, Adjuncti, Vagi, & quicumq; in nostro ordine promotionem aliquam expectant, Biblia, nisi ea prius habeant, sibi comparabunt, quæ benè compacta XX taleris cupreis hic veneunt: parati enim erunt ad reddendam rationem argumenti seu brevis summæ singulorum capitum, in V. quidem Testamento universi Octoteuchi, h. e. librorum Moïsis, Josuæ, Judicum & Ruth. In Novo verò IV Evangeliorum. Et præterea examen cum illis instituetur super materia de qua disputabitur, loco nim. de DEO.

Casus quoq; Pastores adferent quos vel soli vel cum Præpositis suis ægrè domi decidere queunt, eosq; biduo isto post meridiem cum Deo sumè examinaturi. Omnes & singuli adesse tenebuntur sub pœna pecuniaria duorum imperialium, quos, qui iter detrectant, quicquid tandem causentur, cum vicinis Pastoribus ad Consistorium Cathedrale illico mittent, in reparationem Academiæ impendendos, nisi malint privationis pœnam subire. Si illi quibus officia in Synodo peragenda ob morbum vel aliam fonticam causam adesse nequeunt, alios substituunt, & nihilominus binos in usus Academiæ imperiales impendant. Hæc pro officij ratione seriò vobis injungimus, fraternè & amicè rogantes, ut pro fide vestra, quâ Ecclesiæ bono, quâ Nobis obstricti estis, fideliter ea exequamini. Actum Aboæ XII. Kal. Jan. Anni quem vobis atq; universæ patriæ atq; Ecclesiæ faustum & felicem precamur CIS 130 LX.